

Petrus de Vinea

*Ep. VI 6 (Etsi culpa
traductio, quae in dominos...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. VI 6 (Etsi culpae
traductio, quae in dominos...)*

primavera 1253

Priuilegium concessum cuidam marchioni,
consanguineo suo

1. Etsi culpa traductio, quae in dominos interdum a subditis humanitatis fragilitate committitur, non tantisper soluerit preteritam notare progeniem sed posteritatis innocentiam infamare, illos huius nota non obligat, quos natiuae fidei radicibus solidatos contrariis uentorum impulsibus flecti naturae sinceritas non permittit. 2. Sed quae uelut spinis origine rosa communicans fragrantiam non amittit, tanto plus aliqui laudis et famae preconia promerentur, quanto remotius a suorum erroribus fugientes, sic deuotionis et fidei semper claritate tripudiant, ut nec sentiant sanguinis ydemptitate contagium, nec proxima carnis molliri dulcedine patiantur. 3. Hac itaque consideratione commoniti, notum facimus uniuersis, tam presentibus quam futuris, quod nos, attendentes inuiolabilem deuotionem et fidei puritatem, quam A., marchio de ..., comes de ..., et magnus regni Syciliae marescalcus, dilectus consanguineus et familiaris noster, nobiscum ab annis teneris tam mentis sinceritate quam sanguinis communione contraxit, sibi de gratia et ex certa scientia nostra promittimus, quod, si aliquem consanguineum uel affinem eius, tam ex parte uxoris suae quam alio quoquo modo, interdum per culpa lubricum a fide nostri nominis deuiare contigerit, uel in lesionem nostri nominis aliquid attemptare, dictos marchionem, uxorem, et heredes suos, numquam propterea suspectos habebimus, nec alicui uolumus penae uel infamiae subiacere. 4. Sed uelut ut contraria iuxta se clarius elucescant, memoratum marchionem, consanguineorum uel affinium suorum culpis quibuslibet nullatenus

obsistentibus, tanto reputabimus clariorem fidem eius assidue, quanto eam collaudabilium operum experimento sentimus ad presens et sentire credimus in futurum.